

parte aliqua, semina spargi non potuerint? Vel satoris impotentia, vel negligentia, vel inscitia, vel invidia. Atque ita profligatae iam toties illae absurditates iterum redibunt. Vel in Empyreo impedimentum aliquod interfuerit, cuius obiectu, et viribus semina spargi per totum non potuerint. At aliud in eo tale, nihil adhuc fuit, Lumen enim, et calor, et fluor cedit omnibus uti est demonstratum. Nulla ergo obfuit causa, cur semina totum non implerent Empyreum. Sed ea semina, frustra ne ei Conditor indidit? At hic, nihil frustra facit. Non sunt ergo ea semina in Empyreo frustranea. Si non frustranea, neque ociosa. Si non ociosa, in motu erunt. Si in motu, etiam in vita. Si in vita, etiam in viribus. Si in viribus, etiam in actionibus. Si in actionibus, foecunda erunt quoque. Si foecunda etiam parturient. Si parturient, etiam producant, ac germinant. At quid producant? Empyreos nimirum partus, Empyrea animalia, Zoophyta, plantas, lapides, metalla, reliquorum entium genera, Empyreo convenientia, Empyreo propria. Non enim aut aquea, aut terrea. Non enim haec, illius sunt loci, sed loci huius. Sed illa humanus sensus non attingit, non conspicit. Conspicit tamen ea, et attingit humana ratio, et quidem uti deduximus ex demonstratis, plusquam probabilis, fere necessaria. Sed si aether, si coelum, Empyreus pars est, atque hic, eius fuit effector, ea semina, eosque effectus illum, a suis tamen remissiores effudit. Omnis enim effectus sua causa est remissior. Si vero coelum Empyreus pars non est, neque est ab Empyreo effectus, nihilominus tamen Idearum eadem vis per essentias, per vitas, per mentes, per animum fontanum pertransiens, et spacio, et lumini se se infundens, et in calorem, et in fluorem effundens, et in Empyreum etiam se se uti diximus effundit, et per ipsum se se diffundit in mundum caelestem, sive aethereos tres illos Chaldaicos, quos unum aethera, unumque coelum constituere ostendimus. Et quot sunt in Archetypo Ideae, et unitates, tot inde sunt et essentialia, et vitales, et mentales, et animales seu vires, seu dixerimus rationes, seu rerum semina, quae mundum omnem corporeum implerunt, ut spiritus ex eis, ut naturae, ut qualitates, ut formae, ut corpora efformarentur, et constituerentur, et conservarentur. Semina ergo haec in coelum descenderunt. Id vero, vel per totum, ut seminibus sit plenum, vel per partes, aliae plenae, aliae vero ipsis sint vacuae. At vacuas dicere, nihilum in eis habitare, est dicere. Inter entia autem nihilum non admittitur. Et praeterea, quo privilegio, pars alia sit eis plena, alia sit vacua? Aut quo Conditoris defectu, aut aetheris obstaculo, non in omnes caeli partes ea semina sunt disseminata? Ne igitur toties reiecta illa impossibilia redeant, et ne nobis, rebusque ipsis negocium facescant frustraneum, non est admittendum, partem in caelo ullam esse rerum seminibus, atque rationibus vacuum. Si vero coelum totum plenum eis sit omnes quoque eius partes eis erunt plenae. Si partes omnes, etiam astra, caeli eiusdem partes, eis seminibus erunt plena. At singulae singulis? An singula omnibus? An omnia omnibus? An vero, semina omnia incorpora sunt corpora? Neque enim alter in lumine, in calore, in fluore corporibus incorporis, videntur posse consistere. Dicendum ergo, eodem modo ea quo in Empyreo, etiam in aethere, ac caelo consistere. Si in caelo etiam in stellis. Et quia corpora incorpora sunt, uno gradu ab incorporis decidunt: sicuti haec uno itidem gradu ab incorporis penitus Ideis, essentialibus, vitalibus, mentalibusque seminibus infra cadunt. Si ita rerum ordo constat, ratio dictat, in stellis singulis, singula esse semina, sicuti in Ideis, in essentiis, in vitis, in mentibus omnia erant in omnibus. In animo vero fontano incorporo corporo, sunt in singulis omnia, in lumine, in calore, in fluore, in Empyreo, corporibus incorporis, singula in omnibus, ita in stellis singulis semina erunt singula, ita ut in omnibus stellis, semina sint omnia. Distributio enim haec quadripartita, et necessaria in se est, et sapientiae Conditoris, et conditarum rerum generibus est conveniens. Per stellas ergo, perque caeli intermedias stellas partes, singularia sunt sparsa semina, unius stella, unius modi semina dicata. At unum ne semen, uni stellae, an plura? Et unum, et plura. Unum essentia, specieve. Viribus plura, pluraque actionibus, quatenus in speciei eiusdem individuos secantur effectus, qui ab eis pronascuntur. Non enim, stellae ociosae sunt substantiae, neque ociosas habent vires, aut ociosas actiones. Agunt igitur. Quid vero agunt? Actiones, quae singulis illis competunt, quaeque propria sunt cuique, notas